

commodemus, non ad materiam. Quâ ex causa nunc illud quoque est, quod verba hæc, *in magnitudine ingenii alteri periodo vindicanda ducamus.* Ut sensus tandem emergat: *Discriminabis humum ignem passam, subtilians, ut sic loquar, pinguem ejus densitatem beneficio rei omnium suavissima.* *Ingenii sagacitate ascendens à terra in coelum, iterumq; descendens in terram, ac virtutes superiorum atque inferiorum coadunans; SIC HABEBIS GLORIAM TOTIUS MUNDI.* Et hæc verba in posterius hoc incisum locari debent; si non vocibus, at sensu. Est namq; integra periodus (*Ingenii sagacitate ascendens &c.*) rerum de quibus verba ab Hermete facta quasi summa quædam, semel omnia quæ antecessere cemplētens, & hoc vult: *Si ingenio ascenderis &c. habiturum te omnia scito quæ expetas.* Cave ergò verba isthæc putes novarum Tibi operationum necessitatem, quarum in præcedentibus mentio facta nulla, imponere. Atq; hæc de his Tibi habeto.

C A P. VI.

De nono, decimo, & undecimo inciso differitur.

Subjungit Trismegistus: IDEO FUGIAT A TE OMNIS OBSCURITAS. *Obscuritas* h. l. idem est, quod *ignobilitas*; & *obscuri* חשכים sunt *ignobiles*, & *abjectæ sortis homines*: quibus opponuntur נכבדים *viri celebres ac honorati*; sic dicti à כבוד *gloria*, quam vocem Hermes scitè *obscuritati* ἀντιθεται. Quod deinde dicitur; HIC EST TOTIUS FORTITUDINIS FORTITUDO FORTIS: QUIA VINCET OMNEM REM SUBTILEM OMNEMQUE SOLIDAM PENETRABIT, sic intelligendum est, *res ea, quæ ad Naturæ præscriptum à Philosopho è ma-*
ter